

Petrus de Vinea

*Ep. II 14 (Quanta sit
fidei uestrae sinceritas...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. II 14 (Quanta sit
fidei uestrae sinceritas...)*

circa 1240

Tiburтинis, confortans eos, quod sint firmi in fide, promittens eis multa bona.

1. Quanta sit fidei uestrae sinceritas, quam erga nos et Imperium prompta semper mentis alacritate pretenditis, aliena cuiuspiam uerborum argumenta non querimus, cum effectus operis, dicto preponderans, coram nobis experimenta dilucidet et conscientiae nostrae professio testis quantalibet depositione sollempnior interpellat. 2. Scimus etenim, immo iam iudice facto probauimus, qualiter Tiburtinae deuotionis integritas paratam continue se nostris obsequiis reuerenter exhibuit, et in fidei nostrae constantia deuotionem puritatis ostendit. 3. Scimus etiam, quod fidei uestrae perfectio dampnosis hostium impulsu conatibus, et continuam sentiens ex uicinitate offensam, uel potius ex offensionis uicinitate iacturam, in eo semper est in nostris seruitiis probata feruentior, quo lesionem pertulit hactenus grauiorem. 4. Ad compassionis itaque nostra precordia, immo ad compensationis examen libenter admittimus uniuersitatis uestre grauamina, qui tam hylariter nostra seruanda suscipitis, tam deuote pro debita nostrorum seruitiorum executione portatis. 5. De quibus, et aliis uestrae fidelitatis obsequiis, quamquam, ut diximus, nostra magnificentia certa foret, ex tenore tamen litterarum uestrarum, et relatibus etiam nuntiorum, quos nuper ad nostram presentiam destinastis, pleniori nobis exinde facta fide, sic super hoc suo loco et tempore, prout honori nostro conueniat et fidei uestrae requirit integritas, beniuole curabimus prouidere, quod in fidei nostrae constantia merito gaudebitis perstitisse. 6. Ceterum ut uestrae deuotionis auditus, quos nostrae felicitatis auidos fore confidimus,

ex nostrorum prosperitate successuum recreentur, adicimus, quod negotiis..., prout per litteras alias uobis scripsimus, salubriter ordinatis, in Tuscia feliciter et uictoriose peruenimus, ubi, diuina fauente clementia, plene gaudentes in corpore beneficio sospitatis, prospere regnamus et uiuimus, ac singula nobis ad uota succedunt; ibique trahere modicam moram disponimus, ad partes ipsas in proximo felicibus auspiciis processuri. 7. Vos igitur ad seruitia nostra, more solito uigiles existentes, sic ad ea omnia, quae honorem nostrum sapiunt, tenaciter uigiletis, quod, sperantes in nostrae liberalitatis prouisionis munificentia, ad prosecutionem seruitiorum nostrorum liberaliter intendatis, ut fidei uestrae constantiam dignis extollere laudibus et labores uestros amplis compensare premiis merito ualeamus.